B. 1.

EPISTOLA

MARTINI DE SWAEN

THEOLOGI LOVANIENSIS

AD

R. P. ISAACUM DE BRUYN

Societatis JESU S. Th. Profeſſorem.

REVERENDE ADMODUM PATER,

Benedictus Deus, quo adjuvante tam orthodoxè, dilucidèque ſententiam meam de Gratiâ,& libero arbitrio publicis in ſcriptis exponere mihi licuit, ut ea à primariis tum Cleri, tum Religioſorum Ordinum viris, ſive in, ſive extrà hanc Academiam, tamquam genuina SS. Auguſtini & Thomæ doctrina commendari; à nemine hactenùs gratiæ per ſe efficacis defenſore vel leviter impugnari; denique & à R. V. non niſi ſolo hoc titulo arrodi meruerit, quod exiſtimes alia me interius ſentire, quam publicis in ſcriptis coram orbe univerſo profeſſus ſum.

Placuit nihilominus Tibi, R. P. tum in nuperis tuis Theſibus, tum in earumdem publicâ defenſione, me quidem uti hæreticum per te vel per Diſcipulum tuum proclamare, & hanc Orthodoxam doctrinam meam de hæreſi ſuſpectam reddere.

Adſunt mihi inſtrumenta fide digniſſima, quibus evincam, iniquiſſimam hanc calumniam mihi in Diſputatione tuâ nuperâ de 24. Novemb. 1692. impactam fuiſſe.

Quâ id à te conſcientiâ factum ſit, R. P. tu videris; quo autem fieri id à te jure potuerit, diſpiciant judices noſtri. Mihi ſuffecerit rationes, quibus inductus id feciſti, quam potero breviſſimè, hìc refellere.

§. 1.

Rationes ob quas R. P. & me, & doctrinam meam de hæreſi ſuſpectos habet.

Binas, cur id tibi licitum putas, rationes in Theſibus tuis aſſignas.

Alteram, quod juxtà te Reverentiam non præſtem ergà Conſtitutiones Apoſtolicas, quam promitto.

Alteram, quod Propoſitiones quinque ab Innoc. X. & Alex. VII. damnatas, non damnem juxtà SS. Pontificum Conſtitutiones.

Atrox planè accuſatio! En tibi in §§. ſequentibus ejuſdem refutationem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. 2.

Quam ergà Conſtitutiones Innoc. X. & Alex. VII. promittam Reverentiam?

Reſp. eandem planè, quam Epiſcopi 4. tempore Clementis IX. promiſêre, quam idem SS. Pontifex poſt examen trium hebdomadarum coacto eum in finem fre-

Digitized by Google

quentiſſimo Cardinalium, Prælatorum, aliorumque Conſultorum cœtu ſolemniter approbavit, & ob quam non ſolum Epiſcopos ut genuinos Eccleſiæ filios, & Orthodoxos Antiſtites, ſed ipſos inſuper teſtatus eſt præſtitiſſe & ſibi, & Apoſtolicis Conſtitutionibus VERAM & TOTALEM obedientiam, ac proinde ob quam non malis ſed bonis debitoribus ipſos, & in ipſis omnes, eadem cum ipſis ſentientes aſſimilavit.

§. 3.

An promiſſam hanc Reverentiam ritè præſtem?

Aio ego, mi Pater, tu negas; ſed non aliâ id tu ratione negas, præter eam, quam à tribus annis tam efficaciter refutavi, ut nihil hactenus reſponſi à te retulerim.

Eſt autem hæc, quod nempe aliquandò ſuſtinuerim, dici probabiliter poſſe, quod *è Semipelagianis ſaltem aliqui admiſerint prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei*; id quod tu ſuſtineri poſſe non putas, niſi violetur Reverentia ergà Conſtitutiones Apoſtolicas Innoc. X. & Alex. VII. circà propoſitionem quartam, quæ ità habet.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, falſam & hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

Verum, quod cum hac SS. Pontificum Cenſurâ componi poſſit, quod *aliqui* ſaltem *ex Semipelagianis admiſerint prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem*, &c. duplici hac potiſſimum ratione probari queat.

Prima eſt, quod cum propoſitio damnata ſit copulativa, ſufficiat ad hoc, ut ſit falſa & hæretica, quod una ejus pars verè talis ſit, licet altera vel vera ſit, vel ſaltem certò non ſit falſa.

Cum igitur pars poſterior propoſitionis damnatæ certò & falſa ſit & hæretica, hæc ſcilicet, quod *Semipelagiani in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*, ſubſiſteret quam optimè SS. *PP.* Cenſura, etiamſi prior pars propoſitionis foret vera; hæc nempè *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem*, &c.

Cum igitur certo non conſtet, vel SS. Pontifices voluiſſe priorem propoſitionis partem falſam declarare, vel illam in ſe talem eſſe, ſequitur manifeſtè, citra omnem irreverentiam ergà Conſtitutiones SS. *PP.* ſuſtineri poſſe, quod aliqui ſaltem ex Semipelagianis admiſerint prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, &c.

Ratio ſecunda hæc eſt; quod licet utraque propoſitionis iſtius pars foret falſa, adhuc ſubſiſteret, quod *è Semipelagianis aliqui admiſerint, etiam ad initium fidei prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem*, nam eo non obſtante adhuc damnata merito ea foret propoſitio tamquam falſa, utpote quæ indefinitè, adeoque univerſaliter aſſerit Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei.

Ex quibus, aliiſque pluribus, de quibus in Theſibus meis in Octobri 1689. defenſis, liquet, nihil me adverſus promiſſam erga conſtitutiones Apoſtolicas reverentiam egiſſe, dum ſuſtinui, dici probabiliter poſſe, *quod aliqui ſaltem è Semipelagianis admiſerint prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem etiam ad initium fidei.*

Id ſanè mecum cenſuêre PP. Salmanticenſes, Contenſonius, Gonetus, Franciſcus Macedo, eorumque Approbatores & Superiores, qui eandem hanc mecum ſententiam propugnârunt, vel ut minus illam propugnantibus conſenſerunt.

An & de his omnibus & ſingulis, quod de me forſitan tu dixeris: videlicet, quod Reverentiam ergà Conſtitutiones SS. PP. quam promittunt, non præſtent? Haud puto.

Fatêre igitur, R. P, temerè me à R. V. poſtulatum eſſe de violatis SS. *PP.* Conſtitutionibus, ſiquidem nihil, præter hanc à tribus annis efficaciſſimè refutatam rationem tuam in accuſationis tuæ probationem hactenùs protuliſti.

Fatêre 2. infundatiſſimè quoque doctrinam meam dilucidè, ſinceréque à me expreſſam, quin & meipſum, tamquam ſuſpectæ fidei ob prædictam rationem tum in Theſibus tuis de 24. Octobris, tum in publicis Diſputationibus tuis exagitatos fuiſſe.

Sed nunc ad alteram rationem tuam, ob quam & ego & doctrina mea ſuſpecti tibi viſi ſumus, tranſeamus.

Eſt autem hæc; quod nempè quinque propoſitiones ab Innoc. X. & Alex. VII. damnatas, non damnem juxtà SS. PP. Conſtitutiones.

§. 4.

Verum-ne ſit, quod habet hæc ſecunda R. P. ratio?

Reſp. Minimè. Conficio id irrefragabiliter ſequenti hoc ratiocinio:

Quiſquis damnat quinque propoſitiones ab Innoc. X. & Alex. VII damnatas, eodem planè modo, ac ſenſu, quo illas damnarunt Epiſcopi 4. tempore Clementis IX. damnat illas juxtà SS PP. Conſtitutiones:

Atqui ego propoſitiones illas damno eodem modo ac ſenſu, quo illas damnârunt Præfati Epiſcopi.

Ergo propoſitiones illas damno juxtà SS. *PP.* Conſtitutiones.

Májor argumenti patet, quia numquam teſtatus fuiſſet Clemens IX. Epiſcopos illos præſtitiſſe ſibi VERAM AC TOTALEM obedientiam, ſi non damnaſſent propoſitiones illas juxta SS. *PP.* Conſtitutiones.

Minor patet, tum ex Epiſtolæ meæ ſecundæ Illuſt. Archiepiſcopo Sebaſteno inſcriptæ §. 23. & ex diſſertationis nuperæ cap. 3 §. 26. Quî ergò damnamus propoſitiones memoratas? Reſp. ad jus quidem quod attinet damnamus propoſitiones illas, *omni ſinceritate, ſine exceptione, aut reſtrictione qualicumque* (verba ſunt actæ 4. Epiſcoporum) *in omnibus ſenſibus, in quibus eas Eccleſia condemnavit.*

Quod vero ſpectat ad attributionem (loquor rurſus cum iiſdem) *quâ propoſitiones illæ adſcribuntur libro Ianſenii*, præſtamus S. Sedi Reverentiam omnem, & obedientiam quæ illi debetur circà libros condemnatos juxtà ſenſum præcipuorum Authoritatis S. Sedis defenſorum, quales fuêre Cardinales Barónius, Bellarminus &c. atque hâc ratione obſtrictos nos putamus *nihil dicere, ſcribere, aut docere contrarium illis, quæ hâc in re per Pontifices deciſa ſunt.*

Hanc igitur ergà Conſtitutiones Apoſtolicas reverentiam, cum in præfatis Epiſcopis approbârit SS. Pontifex, atque adeò cénſuerit per illam præſtari poſſe VERAM, ac TOTALEM S. Sedi obedientiam, ultrò conciſſit, quidquid adverſus ſinceritatem fidei meæ in art. 3. Reſp. tuæ congeſſiſti.

Cæterum, quod aſſeris in art. 4. videlicet, quod Pontifices *toti orbi Catholico* FIDE

DIVINÂ *credendum eſſe declarant 5. Ianſenii dogmata , eo quo traduntur in libro , cui titulus Auguſt Ianſen. ſenſu eſſe* hæreticas , atque adeo ſub pœna hæreſeos id à me , aut quovis alio negari non poſſe.

En tibi reſponſi loco hæc pauca.

1. Me hactenus nunquam negaſſe , quod ſenſus à PP. damnatus in dicto libro contineatur.

2. Hanc fidem ab Epiſcopis præfatis Clementem IX. non exegiſſe.

3. Iſtiuſmodi fidem nec habuiſſe , nec profeſſam eſſe Societatem tuam , dum tempore Pauli V. Summo illi Pontifici in libello ſuo ſupplici , oblato 1. Auguſti 1605. omnimodis perſuadere conabatur ; tamquam articulum fidei definiri non poſſe , quod dogma de gratiâ per ſe efficaci à SS. Aug & Thoma traditum fuerit. extat libellus ille in Miſcellaneis R. P. Lemos.

Ratio illorum hæc erat ; quod ſimilis definitio non circà quæſtionem JURIS , ſed FACTI (uti tum Societas loquebatur) dumtaxat verſaretur.

4. Similem fidem non habuiſſe plures alios ejuſdem Societatis Theologos , Sirmundum , Petavium , &c. dum non obſtantibus Conciliorum quantumvis generalium Decretis , quibus Scripta Honorii v. g. aut Theodoreti tamquam Apoſtolicis dogmatibus contraria declararunt, eadem nihilominus ab omni errore immunia eſſe probandum ſibi ſumpſêre.

Denique hanc tuam aſſertionem minimè probaſſet Harduinus Perefixius Pariſienſis Archiepiſcopus, dum in ſuo de ſubſcriptione formularis decreto ita loquitur, verbis Gallicis latio donatis.

Certum eſt, neque ex Conſtitutionibus , neque ex formulari poſſe quempiam , NISI MALITIOSUS SIT , VEL IGNARUS , *anſam ſumere dicendi , quod poſtulent ſubmiſſionem fidei divinæ , quantum attinet ad factum ; cum exigant tantum quoad hoc* FIDEM HUMANAM *& Eccleſiaſticam , quæ jubet judicium ſuum ſincerè judicio ſuperiorum ſubmittere.*

Hic tamen ipſiſſimus ille Perefixius eſt , qui tanto zelo formulare Gallicanum relatus eſt, qui tantis laudibus à PP. Societatis commendatus eſt, qui tantum Conſiliis Patris veſtri Annati deferre conſuevit.

Hæc meditare paulò attentius R. P. , & ſpero fore , ut tandem aliquando & me Doctoribus , & doctrinam meam dogmatibus Orthodoxis ſecurius poſthac accenſeas.

Patere interim, Reverende Pater , ut obiter aliquid regeram ad tria alia puncta, quæ diſſertationi meæ nuperæ in theſibus tuis de 24. Novembris 1692. oppoſita voluiſti.

§. 5.

Proponuntur tria reliqua, quæ diſſertationi meæ oppoſuit R.P. ſunt autem ſequentia.

PRimum , quod ſcopum , quem mihi in diſſertatione meâ præfixeram, non attigerim.

Secundum, quod invidioſa quædam congeſſerim, non tam ad propoſitum meum facientia , quam ad diſſidia inter PP. Societatis & PP. Prædicatores ſeminanda.

Tertium,quod non reſpondeam ad ea, in quibus controverſiæ, inter ipſum R.P. & me aliquot ab annis motæ,cardo vertebatur.

Paucula dicamus ad ſingula.

§. 6. *Verum*

Digitized by Google

§. 6.

Verè-nè dixerit R. P. quod ſcopum mihi in Diſſertatione meâ præfixum, non attigerim.

RESP. Nequaquam. Patebit hoc perpendenti hinc ſcopum mihi præfixum, illinc ea, quæ ad illum attingendum dicta à me fuêre.

Scopus ille multiplex eſt, & primus quidem, me, alioſque DD. Orthodoxos eximere à notâ ſeu ſuſpicione damnatorum ab Innoc. X. & Alex VII. dogmatum in materiâ de gratiâ & libero arbitrio.

Ut ſcopum hunc obtinerem tria cenſui neceſſaria vel ſaltem admodum utilia.

1. Oſtendere, quod nihil doceam circà articulos ab Innoc. X. & Alex. VII. proſcriptos, quod in Scholis Orthodoxis, Lovanienſi v.g. & Thomiſticâ orthodoxè non doceatur.

Præſtiti hoc in §. 19. cap. 1. Diſſertationis meæ remittendo lectorem ad Epiſtolas primam & ſecundam Illuſt. Archiepiſcopo à me inſcriptas, in quibus doctrinam meam tam dilucidè, Orthodoxèque expoſui, ut non tantum à primariis tum Cleri, tum Religioſorum Ordinum viris, ſed & à nonnullis eorundem Reverendiſſimis Magiſtris, tamquam genuina SS. Aug. & Thomæ (uti ex fide dignâ relatione mihi conſtat) meruerit laudari.

Alterum quod hunc in ſcopum ſi non planè neceſſarium, utile tamen admodum cenſui, eſt, ut oſtenderem me non fucatè, ſed omni ſinceritate in prædictis articulis rejicere, quicquid in illis Scholæ Catholicæ v. g. Thomiſtica rejiciunt.

Id præſtiti adeo rurſus efficaciter in §. 18 ejuſdem capitis, reprobando in decem ſenſibus, quos PP. Societatis, aliive Janſenio tribuunt, & in ipſo à Pontificibus damnatos prætendunt; ut ne vel verbulo ea quæ iſthic à me dicta ſunt, oppugnare tentâris.

Supereſt tertium, quod obtinendo propoſito mihi ſcopo judicavi accommodum, hoc videlicet, ut oſtenderem, debitam me præſtare, & hucuſque præſtitiſſe Conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. obſervantiam;

Hunc in finem (ut reliqua prætercam) declaravi in §. 26. eandem me iiſdem deferre reverentiam, quam iiſdem detulêre Epiſcopi 4. de quibus ſuprà.

Cavillis, quibus ſinceram hanc meam declarationem arrodere tibi placuit R. P. præſens Epiſtola, ſi pacem & veritatem quæris, abundè faciet ſatis.

§. 7.

Scopus ſecundus Diſſertationis.

IS ille eſt; videlicet oſtendere, quod nullâ veri ſpecie afferi queat, doctrinæ de gratiâ per ſe efficaci per Conſtitutiones Innoc. X & Alex. VII. quidpiam fuiſſe detractum.

Evici hoc triplici potiſſimum ratione.

1. Erat, oſtendendo quod ipſimet SS. PP. præfati declararunt poſt condemnationem famoſorum V. articulorum nullatenus ſe per ſuas reſpectivè Conſtitutiones damnaſſe gratiam per ſe efficacem.

Legiſti hæc proculdubio, mi Pater; ſed unà tam irrefragabiliter demonſtrata, ut malueris nihil omninò, quam infundati aliquid dictis meis opponere.

Ratio ſecunda in hoc ſita erat ; quod ex comparatione doctrinæ Orthodoxæ cum propoſitionibus condemnatis pateret ad oculum nihil doctrinæ illi cum propoſitionibus iſtis eſſe commune.

Comparationem hanc rurſus inſtitui adeò genuinam, ut nullus eam hactenus (quod ſaltem reſcii) vel è Scholâ Lovanienſi, vel Auguſtinianâ, Dominicanâ, Carmelitanâ Diſcalceatâ &c. eam reprobaret.

Tu ſolus inventus es Magiſter in Iſrael, Mi Pater, qui pro omni dictorum meorum refutatione, hanc exclamationem regereres: *Magnus mihi Apollo fueris vir Eximie! ſi ſolidè negaveris ſimiles loquendi modos in Auguſtino Iprenſi non reperiri.*

Quam vana diverticula! ſanè, quos habeat *loquendi modos* parum vel nihil meâ intereſt ; dummodò nec tu, nec quiſpiam alius oſtendere queat (quod unicè in §. 2. cap. 2. contendi, doctrinam nempè Orthodoxam, ibidem à me expoſitam, vel *in proprio, litteralìque ſenſu, vel prout in Scholis Orthodoxis paſſim traditur, in Conſtitutionibus SS. PP. damnatam eſſe.*

Addidi dicto in loco, *in proprio, litteralìque ſenſu*, ne forſan tu, vel quiſpiam è ſociis tuis diceret confictum aliquem ſenſum me ſub illis velle occulere. Nec vanum omninò hoc meum vaticinium ; patet ex art. tuo 3.

Denique tertia mea ratio hæc fuit, quod veriſimile nequaquam ſit, plurimas tum Cleri, tum Regularium Ordinum ſive Academias, ſive Scholas, dogma de gratiâ per ſe efficaci eſſe amplexuras, ſi vel per ſuſpicionem ſubodorarentur conſtitutiones ſæpe memoratas dogmati iſti adverſari.

Et hanc quoque rationem, Mi Pater, piſce mutior tranſiiſti.

Quidni igitur ſecurè hic iterum concludam, hunc rurſus Diſſertationis meæ ſcopum (judice ſilentio tuo) feliciter me attigiſſe?

§. 8.

Scopus tertius Diſſertationis.

SCopus iſte his verbis expreſſus erat: *non defuiſſe, tum apud Acatholicos, tum apud Catholicos, qui ex Conſtitutionibus illis* (præter mentem ſcilicet SS. PP. intellectis) *intulerint, doctrinam illam* (de gratiâ per ſe efficaci) *ab Eccleſiâ Rom. damnatam eſſe.*

Et hunc quoque ſcopum feliciter me attigiſſe inficias non ieris, R. P. ſiquidem in §. 3. cap. 3. oſtendi Acatholicos nonnullos, v. g. Petrum Jurium Miniſtrum Roterodamenſem palam ſuſtinuiſſe, in Eccleſia Rom. doctrinam de gratiâ S. Pauli & Aug. per Conſtitutiones Innoc. X. & Alex VII. damnatam eſſe.

Oſtendi ſimiliter ejuſdem cap. §. 4. Catholicos quoſdam v. g. Patres Du Bosc & Fabri ab eo non abhorruiſſe, ut traderent dogma de gratia per ſe efficaci in Eccleſiâ Rom. damnatum eſſe ; primus namque docuit gratiam per ſe efficacem, etiam prout illa in Scholis Thomiſtarum traditur, in Janſenio damnatam eſſe.

Poſterior verò, *eandem eſſe* aſſeruit *gratiam prædeterminantium* (Thomiſtarum utique) *Janſenii & Calvini.*

Cum igitur, R. P., ne verbulum his rurſum oppoſueris, & hîc denuò concludam fruſtrà te inſinuare in art. tuo 3. quod ſcopum mihi præfixum, non attigerim.

Ad quartum itaque ejuſdem diſſertationis ſcopum procedamus.

§. 9. *Scopus*

Digitized by Google

§. 9.

Scopus quartus Diſſertationis.

IS ille erat; *oſtendere, quid mali ex illorum ſententiâ*, qui ex Conſtitutionibus prædictis, præter mentem SS. PP. intellectis, inferunt, dogma gratiæ per ſe efficacis damnatum eſſe, *natum ſit in Eccleſiam derivari.*

Mala illa ad numerum ſenarium redegi in cap. 4. Diſſert. ſunt autem ſequentia.

1. Diminutio Auctoritatis SS. Auguſtini & Thomæ 2. Confirmatio Acatholicorum calumniantium, Eccleſiam Romanam damnaſſe doctrinam S. Auguſtini, & quod pejus eſt, S. Pauli. 3. Obſtaculum converſionis pretensè-Reformatorum 4. Criminationes injurioſæ, & perſecutiones adverſus gratiæ per ſe efficacis defenſores, illos etiam, qui Ianſenio minimè favent. 5. Turbæ frequentes variis in Eccleſiis ſucceſſu temporis ciendæ. 6. Indignatio S. Sedis.

Jam vero mala hæc omnia, & ſingula ex ſententiâ illorum, qui gratiam per ſe efficacem damnatam volunt ab Innoc. X. & Alex. VII., nata eſſe in Eccleſiam derivari, tam dilucidè demonſtravi in 6. §§. Diſſertationis, ut hic quoque ſilentio tuo fatearis apprimè me ſcopum mihi præfixum attigiſſe.

Supereſt igitur ut & paucula circà ſcopum primum diſſeramus.

§. 10.

Scopus primus Diſſertationis.

BImembris eſt hic ſcopus; duo namque probanda pollicetur.

Alterum, doctrinam Orthodoxam de gratia per ſe efficaci ſub triplici potiſſimum larvâ, *Manichaiſmi* ſcilicet, *Calviniſmi*, & *Ianſeniſmi* non ſemel fuiſſe oppugnatam.

Alterum, eandem nihilominus in hunc uſque diem ſtetiſſe inexpugnabilem.

Et prius quidem membrum in tribus §§. cap. 1.

Siquidem in §. 1 oſtendi, quod gratia per ſe efficax tempore Aug. oppugnata fuerit à Pelagianis contendentibus *inter gratiæ vocabulum abſconditum eſſe fatale decretum.*

In §. 2. egi de PP. Societatis, qui tum circa annum 1586. tum in initio hujus ſæculi doctrinam de gratiâ per ſe efficaci ſub larva Calviniſmi fortiter oppugnârunt.

Addidi plures alios in §. 3. qui eandem gratiam ſub larvâ Janſeniſmi oppugnandam ſuſceperunt.

Iſtiuſmodo eſſe dixi & reipſa exiſtere oſtendi in cap. 3. §§. 4. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19 20. 21. 22. 23. &c.

1. Qui v. g. aſſerunt doctrinam Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci eandem eſſe cum doctrinâ Calvini & Janſenii, quam per Conſtitutiones SS. PP. damnatam affirmant.

2. Qui unâ ex parte ſuſtinent, Conſtitutiones illas non eſſe, niſi interpretationem decretorum Conc. Trid. in quibus damnata fuit gratia neceſſitans; ex aliâ verò parte docent, omnem gratiam per ſe ſive intrinſecè efficacem Conc. Trid. eandem eſſe cum gratia neceſſitante.

3. Qui hoc ipſo, quo quiſpiam fatetur ſe tueri gratiam per ſe efficacem, prout illa in Scholis Catholicis communiter tradi ſolet, eum nihilominus Janſeniſmi, ſeu condemnatæ ab Eccleſiâ doctrinæ inſimulant.

Neque his quod opponeres, R. P. quidquam reperiſti.

Manet igitur hæc pars prima ſcopi mei, quæ erat, *oſtendere gratiam per ſe efficacem*

ſub

Google

ſub larva Manichaiſmi , Calviniſmi , & Ianſeniſmi ſæpe fuiſſe oppugnatam , prorſus inconcuſſi. Ad alteram igitur partem pergimus.

§. II.

Dixeram itaque me oſtenſurum eandem (gratiam per ſe efficacem) in hunc uſque diem ſtetiſſe inexpugnabilem.

NEque hic ullatenus à ſcopo aberravit diſſertatio.

Nam licet traditionem integram haud exhibeat Eccleſiæ Romanæ circa gratiam (quod nuper vir quiſpiam eruditus haud infeliciter præſtitit in libro , cui tit. *tradition de l'Egl ſe Romaine ſur la grace)* attamen ejuſmodi continet argumenta ad probandum gratiam per ſe efficacem uſque ad hæc tempora ſtetiſſe inexpugnabilem, ut nullus videam , quî citrà gravem præcipuatum orbis Catholici Academiarum , necnon celeberrimorum Ordinum Religioſorum injuriam contrarium à R. V. ſuſtineri queat.

Oſtendi igitur 1.in §.1. cap.2. gratiam per ſe efficacem inexpugnatam eſſe ex eo, quod SS. *PP.* Innoc. X. & Alex. VII. declararunt ſe per ſuas reſpectivè conſtitutiones gratiæ per ſe efficaci ne vel in minimo velle detractum.

Oſtendi 2. in §. 2. ejuſdem capitis ex comparatione doctrinæ Orthodoxæ de gratia per ſe efficaci cum Conſtitutionibus SS. *PP.* Innoc. X. & Alex. VII. nihil per illas fuiſſe præjudicatum DOGMATI GRATIÆ PER SE EFFICACIS.

Oſtendi 3. in eodem §. teſtatum fuiſſe Clementem IX. , relictam à ſe quæſtionem de gratia eodem in ſtatu, in quo erat tempore Pauli V. jam vero , ſi exiſtimes R. P. id temporis expugnatam fuiſſe gratiam per ſe efficacem , doce nos , ſi potes , ut quid Societas tua nullum non lapidem moverit , ut decretum circa materiam iſtam conceptum non ederetur ?

Oſtendi 4. in §. 11. cap. 3. ſtrictiſſime à Paulo V. & Urbano VIII. vetitum eſſe *ne quis ſententiæ affirmanti gratiam per ſe efficacem , aliquam erroris notam inurat.*

Siccine agerent ! Siccine loquerentur SS. *PP.* ſi gratiam per ſe efficacem ſuis reſpectivè temporibus , vel in Concilio Trid. (id quod tu quidem , R. *P.* prætendis) damnatam atque ita expugnatam credidiſſent ?

Oſtendi 5. in concluſione diſſert. doctrinam de gratia per ſe efficaci , à purpuratis Patribus vel in ipſâ urbe à Religioſis Ordinibus *PP.* Prædicatorum , Auguſtinianorum Carmelitarum Diſcalcearorum in ſuis reſpectivè comitiis , quà generalibus , quà Provincialibus; denique à pluribus aliis Religioſis familiis v. g. Benedictinorum, Cæleſtinorum, Norbertinorum, etiamnum in hæc tempora commendari.

Oſtendi 6. in animadverſione 10. eidem doctrinæ non ita pridem ſubſcripſiſſe nonnullos Patres Societatis v. g. P. Agapitum Fuligattum in Theſibus anno 1674. in Collegio Romano Societatis Jeſu defenſis , & P. Claudium Typhanium Rectoris & Provincialis munere aliquando functum.

Oſtendi demum in §. 7. cap. 3. fuiſſe nuper in Schola Societatis Lovan. qui profiterentur *centies ſe audiviſſe Ieſuitas Profeſſores palam agnoſcere , ſententiam Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci .... defendi poſſe* ; item gratiam illam immunem eſſe ab omni cenſurâ.

Horum tu quidem (uti noſti R. P.) nihil infirmaſti. Et adhuc ſuſtinebis me ſcopum, qui pro parte fuit oſtendere dogma gratiæ per ſe efficacis hactenus ſtetiſſe inexpugnabile, minimè attigiſſe?

Credi-

Digitized by Google

Crediderint hoc, qui voluerint; non credent Scholæ omnes Orthodoxæ, quæ hodie-dum dogma iſtud profitentur, illudque tamquam *manifeſtam S. Auguſtini, vel evidenter Auguſtinianam ſententiam*, vel denique uti claram & inconcuſſam SS. Aug. & Thomæ doctrinam publicis in ſcriptis deprædicant.

Videndum modo, num verius dixeris in titulo art. tui 2.

§. 12.

Eximius congerit quædam invidioſa, non tam ad propoſitum facientia, quam ad diſſidia commovenda inter Illuſtrem PP. Dominicanorum familiam, & minimam Societatem noſtram.

Duo probanda tibi hic ſumis R. P. quorum neutrum probas.

Alterum eſt, quod ea, quæ in Diſſertationis meæ cap. 3. profero ad propoſitum meum non faciant.

Alterum, quod faciant ad commovenda inter PP. Dominicanos & PP. Societatis diſſidia.

Ut de priori te convincam, Mi Pater; unà & propoſitum meum hoc in capite, & ea, quæ ad illius confirmationem à me dicta ſunt, obiter expendamus.

Et primum quidem, cum juxtà ſcopum meum eximere me deberem ab infami damnatæ doctrinæ notâ; ad propoſitum meum faciebat quam maximè ea refellere, per quæ (licet infundatè) notam illam mihi conatus es aſpergere.

Atqui, ut tu optimè noſti R. P. nihil mihi frequentius objectum à te, quam quod, dum quædam in Theſi ſuſtinerem, obſtrictum me non eſſe, utpote fidei doctrinæque integræ, ad tuum, hominis utique privati, nutum, publicè hanc profeſſionem emittere: *damno quinque famoſas propoſitiones in ſenſu ab Authore intento.*, hanc inter cæteras addiderim rationem, videlicet quia periculum ſubeſſe prædixeram, ne vel tu, vel ſociorum tuorum quiſpiam inferret hinc aliquando: me propriam damnaſſe doctrinam de gratiâ per ſe efficaci, id eſt, talem gratiam, qualis vel in Scholâ Lovanienſi vel in Thomiſticâ docetur.

En hic igitur tibi propoſitum, quod in cap. 3. firmandum mihi erat. Supereſt diſpiciendum, an nihil (uti tu quidem prætendis) ad illud faciant, quæ in capite illo dicta ſunt.

§. 13.

Obiter referuntur, quæ in prioribus capitis iſtius §§. dicta ſunt.

IN §. 1. varios adduxi DD. Catholicos, qui prædixerint, aut timuerint, fore ut nonnulli ex conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. præter ipſorum mentem intellectis, inferrent aliquando, gratiam per ſe efficacem ab iiſdem SS. PP. damnatam eſſe.

Theologi à me citati, ſunt PP. Salmanticenſes, Nicolaus de Pavillon Epiſcopus Alectenſis, & Gonetus, quorum poſterior manifeſtè teſtatur non aliò ſuo quidem tempore quorundam conſilia tendere, quam *ut palam afferatur ſolam in Ianſenio gratiam per ſe efficacem damnatam eſſe.*

Oſtendi in §§. 3. & 4. reipſa extitiſſe tum inter Acatholicos, tum inter Catholicos, qui ex his Conſtitutionibus, præter mentem SS. PP. intellectis, intulerint gratiam per ſe efficacem damnatam eſſe.

Nominavimus hos ſupra: videlicet in §. 8.

Denique

Digitized by Google

Denique oſtendi in §§. 8. 9. ac pluribus ſubſequentibus , idque pluribus præſertim rationibus ; periculum ſubeſſe haud infundatum , ne è Scholâ Societatis modernâ inferat ALIQUANDO nonnullus gratiam per ſe efficacem ab Innoc. X. & Alex. VII. damnatam eſſe.

§. 14.

Referuntur ſummariè aliqua ex his rationibus.

PRima eſt , quod in Theſibus Societatis afferatur aliquando

1. Gratiam per ſe efficacem , & gratiam neceſſitantem eſſe Synonima.

2. Canonem quartum Seſſ. 6. Concilii Trid. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire ſi velit &c. anathema ſit* explicari ab illis non poſſe, qui ſtatuunt gratiam intrinſecè efficacem.

3. PP. Tridentinos non tantum non faviſſe gratiæ per ſe efficaci, ſed adverſatos fuiſſe.

Ex quibus inferebam , quod , cum eadem gratia in Conſtitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. damnata ſit juxtà *PP.* Societatis , quæ damnata fuerat in Conc. Trid. meritò à Theologis Orthodoxis timeretur , ne quiſpiam aliquando è Societate ex Conſtitutionibus illis , præter mentem SS. *PP.* intellectis , inferret , gratiam per ſe efficacem damnatam eſſe , utpote quæ ipſis eadem eſt cum gratia neceſſitante , & cui diſſentire liberum arbitrium non poſſit in ſenſu compoſito , id quod à Patribus Tridentinis definitum ipſi exiſtimant.

Secunda ratio hæc eſt ; quod nempè in ſcholis Societatis , iſtiuſmodi propugnentur ſententiæ , ex quibus ſequatur neceſſario gratiam per ſe efficacem cenſuræ obnoxiam eſſe ; v. gr. dum ſuſtinent ad merendum admitti gratiam aliam non poſſe , præter eam , quæ talem admittat poteſtatem, cum quâ actualis conſenſus & diſſenſus componi poteſt.

Rationem tertiam in §. 11. deſumpſi ex querelis frequentibus defenſorum gratiæ per ſe efficacis v gr. *PP.* Dominicanorum, Carmelitarum, &c. quibus ſub larvâ Calviniſmi aut Janſeniſmi, à Profeſſoribus Societatis , doctrinæ Scholarum ſuarum detrahi conqueruntur.

Quartam rationem ex eo mutuavi, quod in Schola Societatis alia quædam Scholæ Thomiſticæ dogmata , communiter recepta , v. g. dogma de gratia ipſorum ſufficienti , non vereantur aliqui damnatis per Innoc. X. & Alex. VII. dogmatibus accenſere.

Quinta timendi ratio hæc eſt : quod pergant Patres Societatis Doctores Orthodoxos damnatæ in materia de gratiâ per ſe efficaci doctrinæ inſimulare , quos conconſtat in omnibus circà eandem doctrinam cum Scholis apprimè Catholicis convenire.

Adi ergo nunc R. *P.* animo à præjudiciis vacuo §§. 8. 9. &c. fateberiſque nihil ad propoſitum meum illis dici potuiſſe accommodatius , quibus iſthîc oſtendi periculum ſubeſſe haud infundatum , ne quiſpiam è modernâ Societatis Scholâ, inferat aliquando ex Conſtitutionibus Innoc. X & Alex. VII præter mentem ipſorum intellectis , gratiam per ſe efficacem damnatam eſſe ; jam vero aliud mihi propoſitum iſtis in §§. non fuit.

§. 15. *Verò.*

§. 15.

Vere-nè dixerit R. P. ea, quæ in §§. jam allegatis à me dicta ſunt, ad commovenda inter PP. Societatis & Dominicanos diſſidia facere?

RESpondeo nullatenus. Cum enim in §§. illis nihil oſtendatur, quam Patres Societatis docere gratiam gratiæ Patrum Dominicanorum è diametro oppoſitam, ſequitur nulla iſtis in §§. diſſidia inter Patres prædictos excitari, ſed ad ſummum oſtendi, eadem modò circà gratiam diſſidia inter ipſos vigere, quæ ab annis jam verè centum exorta fuêre.

Cæterùm ſi hinc anſam aliquam ſumant PP. Dominicani, diligentius nonnihil ſcrutandi impoſterum Theſes Patrum Societatis, & doctrinam Scholæ ſuæ circà gratiam per ſe efficacem ſtrenuè defendendi, dum illam conſpiciunt in me, aliiſque DD. Orthodoxis ſub larvâ Calviniſmi, aut Janſeniſmi, iniquiſſimè à PP. Societatis impugnari, non id tam mihi, ſententias ipſorum gratiæ iſti adverſas ſimpliciter referenti, quam ſibi ipſis imputent Patres Societatis, utpotè qui hanc à me Diſſertationem pœnè invito extorſerint.

§. 16.

Perperam-nè R. Patrem iis annumerârim, qui gratiam per ſe efficacem ſub larva Calviniſmi impugnant?

REſp. minimè. Evinco id triplici hoc ratiocinio:

Quicumque aſſerit gratiam per ſe efficacem eandem eſſe cum gratiâ neceſſitante, impugnat gratiam per ſe efficacem ſub Larvâ Calviniſmi.

Atqui tu, R. P. eandem eſſe aſſeris in Theſi tuâ de 17. Julii 1688. gratiam per ſe efficacem cum gratiâ neceſſitante;

Ergo oppugnas gratiam per ſe efficacem ſub Larvâ Calviniſmi.

En tibi ratiocinium alterum.

Quiſquis illorum doctrinam impugnat uti Calvinianam, qui gratiam per ſe efficacem defendunt, traduntque iiſdem terminis, modo, ac ſenſu, quibus illam docent Scholæ Orthodoxæ v. g. Lovanienſis, & Thomiſtica, impugnat gratiam per ſe efficacem ſub larvâ Calviniſmi.

Atqui hoc tu facis, R. P. quoties gratiam à me, meique ſimilibus, eiſdem terminis, modo, ac ſenſu definitam, ac traditam, quo à Thomiſtis v. g. aut Lovanienſibus traditur, & tanquam Calvinianam in Theſibus tuis deprædicas.

Ergo gratiam per ſe efficacem impugnas ſub larvâ Calviniſmi.

Accipe demum & hoc ratiocinium tertium, mi Pater.

Quicumque docet gratiam per ſe efficacem non conſiſtere cum Concilio Trid. idque iiſdem plane rationibus, ob quas majores ſui gratiam illam in Concilio iſto uti Calvinianam damnatam prætendebant, is impugnat gratiam per ſe efficacem ſub larvâ Calviniſmi.

Atqui id tu facis, R. P. quoties aſſeris Patres Trid. non tantum non faviſſe, ſed potius adverſatos fuiſſe.

Item dogma de gratia per ſe efficaci componi non poſſe cum Can. 4. Seſſ. 6. Trid. qui hunc ferè in modum ſonat: ſi quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.

§. 17. Male

§. 17.

Malè-ne iis accenſuerim R. P. qui gratiam per ſe efficacem impugnant ſub larvâ Janſeniſmi.

RESP. Nullatenus. Manifeſtum hoc faciet unicum hoc argumentum.

Quiſquis prætendit gratiam per ſe efficacem non conſiſtere cum libertate ad merendum in hoc ſtatu ab Innoc. X. & Alex. VII. requiſita, impugnat gratiam per ſe efficacem ſub larvâ Janſeniſmi.

Atqui hoc tu prætendis R. P. dum ſub gratiâ ad merendum in hoc ſtatu ab Innoc. X. & Alex. VII requiſitâ talem poſtulas & non aliam in libero arbitrio poteſtatem, cum qua *actualis diſſenſus & conſenſus componi poſſit*; id quod tu optimè noſti juxtà tua principia gratiæ per ſe efficaci minimè convenire.

Ergo, mi Pater, velis nolis, impugnas gratiam per ſe efficacem ſub larvâ Janſeniſmi.

§. 18.

Meritò-ne dixerit R. P. in titulo Articuli ſui V. Eximius (me notat) non reſpondet, ad ea, in quibus controverſiæ, jam diu inter nos agitatæ, cardo verſatur?

RESP. Minimè. Ratio eſt, quia jam à triennio reſponſum tum à me, tum ab aliis ad præcipuas objectiones à te motas, iiſdem rationibus, quibus præſcripti gratiæ per ſe efficacis defenſores, Lovanienſes v. g. PP. Auguſtiniani, Dominicani, aliique ad ea reſpondere efficaciſſimè ſolent.

C O N C L U S I O.

EX dictis manifeſtè liquet, R. P. quantum aberraveris à vero, dum in Theſibus tuis de 24. Novembris 1692. de me aſſeruiſti ſequentia,

1. Quod ſcopum in diſſertatione meâ præfixum non attigerim.

2. Quod ea, quæ ad probandum diſſertationis meæ ſcopum à me allegata ſunt, non tam ad propoſitum meum faciant, quam ad diſſidia commovenda inter vos & PP. Dominicanos.

3. Me non præſtare Reverentiam ergà Conſtitutiones Apoſtolicas, quam promitto.

4. Me propoſitiones quinque famoſas non damnare juxta conſtitutiones SS. Pontificum.

5. Denique me ad ea non reſpondiſſe, in quibus controverſiæ, jamdiu inter nos agitatæ, cardo verſabatur.

Quod ſi poſthæc omnia R. P. tibi lubeat, doctrinam meam de hæreſi ſuſpectam reddere, vel me contra fas nefaſque per teipſum, aut per tuos uti hæreticum debuccinare, ſpero fore, ut è cordatis, piiſque nemo fidem tibi ultrà adhibeat, vel ut è ſuperioribus quiſpiam temeritatem veſtram pro meritò reprimat, vel poſtremò ſi neutrum horum fiat, ut veritas increata Deus meus me confortatura ſit cæleſti hoc ſuo effato: *Beati eſtis cum maledixerint vobis & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate; quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Matth. 5. ℣. 11. & 12.

Unum priuſquam finiam indicandum cenſui: nimirum animum mihi non eſſe hiſce tecum contentionibus diutius immorari; quandoquidem abundè ſatisfecerim: accedit & hæc ratio, quod cum illis mihi res ſi, qui in omni cauſa, quantumvis infundatâ, de ultimo reſponſo gloriam quærere videntur.

Cæterum, R. P. *Oremus pro invicem, ut ſalvemur*; ſubſcribor.

Reverende admodum Pater

Rev. Adm. Paternitatis tuæ

Humilis Famulus & in eadem Catholicâ fide ac Charitate Frater & Compresbyter

MARTINUS DE SWAEN.

...OMA ... EMANUEL...

A P P R O B A T I O.

MErito notam vel ſuſpicionem hæreſeos à ſe repellit quicumque Doctor Catholicus, quâ aſperſus officio ſuo incumbet ſine fructu. Id non minus ſolidè quam Chriſtianè in hac Epiſtola præſtat Exim. D. ac M. MARTINUS DE SWAEN S. T. in Univerſitate Lov. Doctor & Collegii Alticollenſis ibidem Præſes ſervatis legibus Chriſtianæ charitatis ac moderamine inculpatæ tutelæ, quam propterea publicâ luce dignam judico Antverpiæ hac 5. Decemb. 1692.

ARN. EYBEN Cath. Antv. Can. Theol. Lib. Cenſor.

Digitized by Google